

δεξιὸν μέτρον / dexter versus

ΑΡΘΗΟΝ. GL VI 107. 32 sqq. sed et ille perspicuus pentameter habebitur versus, qui post duos pedes primos semipede, qui superest ad penthemimerem tomen, verbum finit. unde pentametri versus erit prima species, quae de hexametri versus tome, quam penthemimerem diximus, geminata conficitur, quae tunc contingit, si hexameter duos dactylos habuerit, ut puta: (Verg. *georg.* III 113)
 primus Erichthonius.

in hac enim clausula heroi hexametri dactylos duos esse et semipedem necesse est, qui repetiti pentametrum elegiacum, qui hexametro subicitur in poematis, efficiunt. in quibus etiam ordo praeposteratus nec metro nec sententiae oberit, veluti: (cf. Luc. *Phars.* I 1)

bella per Emathios Musa monente cano.

dehinc:

Musa monente cano bella per Emathios.

hi primi pedes usque ad tomen in elegio versu κινητικοί vocantur, quod eos transferre in secundam clausulam et ex eorum geminatione versum implere possumus. ex quo etiam genus propriae versificationis inducitur et appellatur tripenthemimeres. nam prima versus heroi portio ter repetita, veluti: (cf. Verg. *Aen.* I 1, 8 et 12)

arma virumque cano, Musa mihi causas, urbs antiqua fuit,
 metrum sui generis facit. huius incisioni, quae syllaba clauditur, si alteras duas adicias, ut tertium pedem trisyllabon compleas, erit hoc [penthemimeres] trimetrum δεξιόν. nihil autem intererit, si pes tertius in isto versu longa syllaba, quae est finalis ἀδιάφορος, finiatur et fiat ἀμφίμακρος, veluti: (Verg. *Aen.* I 1)

arma virumque cano Troiae.

sane quia superius δεξιὸν μέτρον diximus, quamquam id et in prototypis ostenderit, tamen scias inter dextros ac sinistros versus hanc haberi differentiam, ut dextri sint qui in tertia vel quinta sede trisyllabon habuerint pedem, sinistri autem qui disyllabum in secunda vel quarta regione. [M.E.]